(12
sch.

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

FRIDERICO EX MARCH. MANFREDINI

EPISCOPO PATAVINO

SINGULAS CONGREGATIONIS MONSILICENSIS PARŒCIAS

PASTORALI VISITATIONE

SOLEMNITER LUSTRANTI

CARMINA

Illustrissime ac Reverendissime Præsul.

Nihil sane contingere nobis poterat tantopere desideratum, fortunatumque, quam ut ea, qua mirifice præstas, salutifera caritate atque prudentia has etiam Parœcias Monsilicenses Pastorali visitatione lustrares. Hoc ex Venerabilibus Tuis Litteris ubi nobis innotuit, miram quamdam attulit alacritatem non modo ad singula comparanda, quæ provide jusseris, sed etiam ad obsequii, gratique animi significationem Tibi exhibendam.

Qua quidem in re, sicut pulcherrime novimus, ea potissimum, quæ ad Pietatem ac Religionem respiciunt, Tibi exhibita libentius præ cæteris quibuscumque probari et excipi; ita præ quibusque officiis, vel jure optimo Tibi debitis, pia quædam, ac religiosa argumenta proferre malumus, eaque nimirum, quibus materiam præbent singula Festa in hujusce anni Kalendario Diœcesano occurrentia diebus singulis a prima Augu[illegible] quo mense Visitationem ordiris) ad extremam [illegible] diem.

Octobris

Quæ Tibi cum sistam (rogatus, e Parochis senior, ab hoc Clero id operis persequi, atque adeo jussus me prodere ex nomine Petrum Zero) duobus singula fere semper versiculis comprehensa, pro poetica facultate, ad quam in Tuo Seminario per virides annos instructus fui, vel ex eo benigne Tibi inspicienda non dubitem, quod hæc lectitans relaxes animum curis per hosce dies, quibus debitæ quieti quandoque indulseris.

Utinam plura, et accuratius exculta tam fausto tempore adventus Tui exerere licuisset! Utinam vero hoc liceat in posterum, favente Deo, cum iterum atque iterum fuerimus exhilarandi præsentiâ Tuâ, Antistes dignissime, cui ad seriores annos vitæ munus arrideat, et quibus numeris initio hujusce Tui Episcopatus, iisdem diu recinamus:

Parce queri, Arsinoe: Fridericum debita Sedes,
Majus Ovilis opus, Prosdocimusque tenent.

EX

KALENDARIO PATAVINAE DIOECESEOS

AUGUSTUS 1864

1. *Festum S. Petri in Vinculis.*

Petre, sacer morti, Te somno, compede, claustris
  Angelus exsolvit, Dux in aperta trahit.

Item S. Pauli Ap.

Vel Te vincla manent, queis liber, Paule, per orbem
  Injicies Veri pectus in omne facem.

Item Ss. Fratrum Machabæorum.

Quid Machabæa cohors? Mortem pro Lege lacessunt:
  Vicit in exscissis Mater, ovansque perit.

2. *Inventio S. Maximi Episcopi Patav. Conf.*

Maxime Prosdocimo suffecte, en denique prodis,
  Quæ Tua cum reliquis ossa recondit humus.

Item S. Stephani Pontif. Mart.

Tot, Stephani virtute, negant thus urere Marti!
  Tot ferrum Heroas, Pontificemque fodit!

3. *Inventio S. Stephani Protomartyris.*

Quæ vota ad Stephani tumulum, Corpusque retectum!
  Cui non inde salus prodigiosa scatet!

4. *S. Dominici Conf.*

Ut voce et monstris stygium, Gusmane, Colubrum
Exteris! Ut Fidei damna querenda caves!

5. *S. Mariæ ad Nives.*

Qua tegis Esquilias nivibus, Sextilis ut ardet,
Templa Tibi attollant, Candida Virgo, senes.

Item S. Xisti Pontif. Mart.

Quid fles, Laurenti? Prægresso ad prælia Xisto
Post triduum maior te sociabit honos.

Item Ss. Felicissimi, sociorumque Mm.

Te, sociosque tuos, o Felicissime, cædi
Subdidit ipsa dies, contegit ipse lapis.

6. *Transfiguratio D. N. J. C.*

Jesu inter geminos noctu effulgente, bearis,
Ternaque, Petre, rogas hic habitacla strui.

7. *S. Cajetani Thienensis Conf.*

Corda Thienensis, fraudesque, periclaque vicit,
Nilque poposcit inops, dives alente Deo.

Item Dominicae XII. a Pentecoste.

Proximus an fueris misero, quem nosse negaris?
Non ita, sed largâ quem recrearis ope.

Item Ss. Donati et Hilarini Martyrum.

Per fustes, Hilarine, animam, Donate per ensem
Funditis: o Tusci lumina fausta soli!

8. *Ss. Cyriaci, Largi etc. Mm.*

Cyriaco et reliquis tibi, Maximiane, peremptis,
Quam dolet Artemie, collacrymatque Sapor!

9. *Ss. Firmi et Rustici Mm.*

Ignibus intacte, et remis contuse cerebrum,
Rustice, cum Firmo, quo vocat æthra, salis.

Item S. Romani Martyris.

Vulnera Laurentî per noctem, et ab æthere visum
Romano ad pugnam robur, opesque cient.

Item Vigilia S. Laurentii Martyris.

Levitam Fidei stantem munimine, Prætor,
Arcâ inopum, demens, expoliare cupis?

10. *S. Laurentii Martyris.*

Craticulæ immani corpus Tibi fervet ab æstu,
Laurenti, ast alio cor magis igne flagrat.

11. *S. Philumenæ Virg. M.*

Acta Philumenes, ætatem, et funus acerbum
Picta super Laterem, Relliquiæque docent.

Item S. Tiburtii Mart.

Laudem iteras Jesu, dum calcas integer ignem,
Tiburti, ut flores, dumque sub ense cadis.

Item S. Susannæ V. M.

Se Jesu adstrinxit Susanna, et prodiga vitæ
Abnegat infesti Cæsaris esse nurum.

12. *S. Claræ Virginis.*

Clara, ut mater adest, et mira facessit alumnis,
Brutaque adorta Domum proruit, ægra, prece.

13. *B. Jordani Forzatè Conf.*

Jordane, ex adytis, Patavî ruis unus in Hostem:
Vincula non horres, exsul honestus obis.

Item Commemoratio S. Hippolyti etc. Mm.

Hippolyti heu domus! Hic plumbis atque ære ministri,
Hinc Herus expirat per iuga raptus equo.

Item S. Cassiani Mart.

Barbare, in ima stylo vincti furis ossa Magistri,
Grex puerûm! O Syllæ non prius acta foro!

Item Vigilia B. Virg. Assumptæ in Cœlum.

Pignoris æterni quæ non putredine Corpus,
Ausit, diva Parens, mors tetigisse tuum?

14. *S. Alphonsi Mariæ de Ligorio Ep. C.*

Alphonse, ut vitia, et miseros, socio agmine, tollas,
Voce, manu et calamo Præsule digna seris.

Item Dominicæ XIII a Pentecoste.

Convaluere decem, Medico redit æqua referre
Unus? In ingratos quin nova lepra cadat?

15. *Assumptio B. M. V. in Cœlum.*

Surge, o, quam Genitus dabit amplo effulgere serto
Reginam, et cunctos transgrediare choros.

16. *S. Rochi Confessoris.*

Solvere, gens Italûm, Constantia, solvere luctu;
Rochum adiere preces: pestis utrinque fugit.

17. *Octava S. Laurentii Martyr.*

Vescere, tortor hians, assum est (sonat igneus Heros):
Perfurit ille fremens, Iste litatus ovat.

Item Commemoratio Turbinis *et* Grandinis; Turbinis, *qui huiusce mensis die 17, annis abhinc octo ac centum, sive anno 1756, hora 1 pomeridiana;* Gran-

dinis, *quæ mensis eiusdem die 26 post annos octo ac septuaginta, sive anno 1834 hora circiter ipsa, irruperunt in Patavinos*, *omnibus quidem salvis ex utraque calamitate.*

Quarta dies aderat Sextilis ab Idibus, anno,
Qui minor hoc centum, bis quatuorque fuit.
Cum subito eripiunt nigrantia nubila solem,
Hora ubi subsequitur proxima meridiem.
Jamque fremens Turbo sublimem irrumpit in Aulam,
Volvit et in medium tecta revulsa forum.
Ast anno hinc lapso bis nono, bisque triceno,
Bis ternâ Augusti, bis decimâque die,
Hora quid ipsa tulit? Lapidosæ Grandinis imber
Irruit: heu, campis quantus, et urbe fragor!
O Patria infelix, duplici absorbenda periclo,
Te supera infando straverat ira metu!
At quibus actutum precibus deterrita cessit,
Quin ullum obrueret tanta procella caput?
Oh age bis geminis grates servata Patronis,
Et vitam in melius, gens patavina, refer.

18. *S. Hyacinthi Confess.*

Magna Polonus agit, pius æque ac doctus, et æthram,
Qua Virgo hinc olim luce, Hyacinthus init.

Item S. Agapiti Martyris.

Non, Agapite, tibi ex nervis, unda, igne, ferisque
Vita, sed ex gladio vix feriente fugit.

*

Item Natalis Regis.

Annua lux fulget, fausto clarissima Regis
Natali: oh festis lux celebranda modis!

19. *Translatio S. Marinæ V.*

Progressa ad Venetam Bizantî ex urbe, Marina
Virgo, novum Adriaco Sidus adesto mari.

20. *S. Bernardi Ab. Ecclesiæ Doctoris.*

Sæclum horres, Bernarde pudens, teque indita ab alto
Relligio, et Sophie munera ad ampla levant.

21. *S. Joachim Patris B. V.*

Fortunate Parens, per Natam id iuris adepte,
Ut regum Regis rite voceris Avus!

Item Dominicæ XIV a Pentecoste.

Fide Deo: qui pascit aves, et lilia vestit,
Non magis ista tibi, vel bene plura dabit?

22. *Octava Assumptionis B. V. in Cœlum.*

Ad solium evectæ laudes tibi quæque Potestas
Integrat, inque tuum convolat imperium.

Item SS. Timothei etc. Mm.

Cor vobis, et robur idem, Antiochene Timotheu,
Hippolite Antistes, Symphoriane puer.

23. *S. Philippi Benitii Conf.*

Fratribus et Scithiæ immissis, benefacta, Philippe,
Multiplicas Italis: culmine honoris abes.

Item Vigiliæ S. Bartholomæi Ap.

Plurima credentum tibi lecta est urbibus Indi,
Plurimaque Armenî, Bartholomæe, seges.

24. *S. Bartholomæi Ap.*

Ast heu! vel reliquam satagenti excerpere messem
Detrahiturque cutis, demetiturque caput.

25. *S. Ludovici Regis Conf.*

Thracem armis, Ludovice, fugas, dein Thrace fugatum
Te furor ad pugnam, Pestis ad astra rapit.

26. *B. Petri Acotanto Conf.*

Poscenti locuples alimenta Acotantus egeno
Profundit, senior poscit egenus ali.

Item S. Zephyrini Pp. M.

Stas Petri in solio, Zephyrine, silente Severo,
Antoninus atrox in tua damna latrat.

27. *S. Cæsarii Episcopi Conf.*

Cæsarii eloquium, portentaque laudat Arelas,
Vandalica innocuum munerat Aula Patrem.

28. *Dedicatio Maioris Basilicæ Patavinæ.*

Quantum opus hoc Templum, qua maiestate decorum,
Præsul ubi, et Patrum lecta corona litat!

Item Dominicæ XV a Pentecoste.

Vos utinam affulgens ad vitam Gratia tollat,
Quos premit ut feretri lurida culpa sinu!

Item S. Hermetis Mart.

Oh pariter nossem, quæ strenuus egerit Hermes,
Cui quoque Pieridum munera sacra darem!

29. *Decollatio S. Joannis Baptistæ.*

Hoc, pretium choreæ, Caput hoc rex jactitat inter
Pocula: crinali mœcha cruentat acu!

Item S. Sabinæ M.

Firma Sabina prece, et Satanes iuga ferrea frangis,
Et rabiem occumbens proteris Elpidii.

30. *S. Rosæ Virg. Limanæ.*

Cara nimis Jesu et Matri, Rosa prodita Limæ,
Quam flagrat spinis obsita, quamque rubet!

Item Ss. Felicis et Adaucti Mm.

Felici, qui signa deûm ruit ænea sputis,
Ingeminas sertum, mortis, Adaucte, comes.

31. *S. Raymundi Nonnati Conf.*

Pro servis Raymundus Iber dignissimus ostro,
Afrorum in funes, et graviora subit.

SEPTEMBER

1. *Festum S. Ægidii Ab.*

Qua cervam Ægidii altricem, Rex, figere parcis,
Claustra specu ædificas huic moderanda Seni.

Item XII Fratrum Mm.

O bis senorum celebris victoria Fratrum,
Acta licet Fasti, Nominaque ipsa silent.

2. *S. Stephani Hungariæ Regis.*

Pannoniis Stephani vel plura effundere aventis
Regalem refugit mors violare Manum.

3. *S. Josephi Calasanctii Conf.*

En ægri ad Joseph, captivi inopesque puelli,
Quos Ille ad senium patris amore fovet.

4. *Octava Dedicationis Majoris Basilicæ Pat.*
Euganea, hoc Templum repetens, pete fervida, ut hisce
Sistat avita Fides, Paxque opulenta plagis.

Item Dominicæ XVI a Pentecoste.
Invidiâ fastuque tumes, Medicumque repulsas?
Quam secus hic supplex, quem modo liquit hydrops!

5. *S. Hieronymi Æmiliani Conf.*
Æmiliane, Quero, demum digresse Somascam,
Pubem alis hac inopem Sede, rudemque colis.

6. *S. Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal Vid.*
Virgo, Parens, Vidua enituit virtute Joanna:
Cui, Francisce, pari claustra regenda dares?

7. *S. Augustini Episc. Ecclesiæ Doctoris.*
E scelerum cœno caput erigis, Augustine,
Quantus et inclares Doctor, et orbe volas!

8. *Nativitas B. M. V.*
Nasceris oh tandem, Virgo, cui brachia tollit
Lætabundus Adam, subjiciturque Draco.

Item S. Adriani Mart.
Sponsa hortante, novam pro Jesu Adrianus adivit
Ad pugnam, et socio cum grege summa tulit.

9. *Die 2.a Octavæ Nativitatis B. V.*
O, miserante Deo, cunctis mortalibus orta,
Spem quibus immittas, attenuesque mala!

Item S. Gorgonii Mart.
Tecum agis et socium, Gorgoni, aulæque ministros
Ad virgas, ignem, funereasque cruces.

10. *S. Nicolai a Tolentino Conf.*

Dive Tolentinas, Te celsa ad Regna Patroni
Æmula fert virtus, Angelicumque melos.

11. *SS. Nominis B. V. M.*

O cui Te Matrem, Virgo, Dominamque vocanti
Vis mala non absint, non bona quæque fluant!

Item Dominicæ XVII a Pentecoste.

Quo dignus sit amore Deus, quo Frater, utrumque
Ipsius ex Verbi disce magisterio.

Item Ss. Proti et Hyacinthi Mm.

Prote, comesque, sacra vos æde Ægyptus alebat;
Arripit, et tunsos impia Roma ferit.

12. *S. Pulcheriæ Augustæ V.*

Disjicit adversas Aræ, nova Debora, turmas
Pulcheria, et solium firmius ære tenet.

13. *Die 6.ª Octavæ Nativitatis B. V.*

Non, ubi nata dies, sic emicat orbis, ut Ævæ
Progenies ortu fit rediviva Tuo.

14. *Exaltatio S. Crucis.*

Reddit Persa Crucem: hanc vectans quid sistis, Heracli?
Peplum abice, ac gemmas, Montis et alta petes.

15. *Octava Nativitatis B. V.*

Exoptata diu, terris quam fulgida prodis,
Tum quo fulgidius Stella datura jubar!

Item S. Nicomedis Mart.

Feliculæ ad tumulum, Nicomedes obrute pœnis,
Genva negas surdis flectere stipitibus.

16. *S. Cornelii Pp. M.*

O Fidei Caput, exsilium, plagasque iuberis,
Corneli, et lethum Martis in æde pati!

Item S. Cypriani Ep. M.

Extorris solate Patris, Cypriane, labores,
Ictus in exanimi sterneris exuvias.

Item Ss. Euphemiæ V. et sociarum Mm.

Plus laniena furit, plus, Virgo Euphemia, perstas,
Luciaque orba viro, turbaque certa mori.

17. *S. Francisci Assisiensis Sacra Stigmata.*

E cruce Te Seraphim senis adit ignifer alis,
Francisce, et plagis, alloquioque beat.

18. *Septem Dolorum B. V. M.*

Non septemgeminus: Te tundit, grandinis instar,
Innumerus, Genitrix, transadigitque dolor.

Item Dominicæ XVIII a Pentecoste.

Nervorum tremitus tibi labes dempta, reatus;
Jamque vales, prenso jussus abire thoro.

19. *Ss. Martyrum Januarii Ep. et Sociorum.*

Quot Nolæ ad palmas Beneventi Præsulis egit
Sanguis, adhuc fervens qui salit ante Caput!

20. *Ss. Eustachii Sociorumque Mart.*

Magnanime Eustachi, coniux, natique recepti,
Ni brutum, ærati vos bovis ardor edit.

Item Vigilia S. Matthæi Ap.

Voce sonante Ducis, tua protinus omnia linquis,
Teque alacer confers ad nova castra, Levi.

21. *S. Matthæi Ap.*

Hirtace, et Hunc morti, quo regia nata revixit,
Quo Jesum Æthiopes edidicere, voves?

Item Feria IV Temporum.

Jeiuna, precibusque insiste: his utitor armis,
Ut Satanæ obtundas exitiale genus.

22. *S. Thomæ de Villanova Ep. Conf.*

Os, animumqne tibi, censusque, Valentia, Thomas,
Et lectum impendit, quo moriturus eget.

Item Ss. Mauritii Sociorumque Martyrum.

Cum Duce Thebæus non sacra ad sordida Miles,
Integra sub gladios victima quisquis iit.

23. *S. Theclæ V. Protomartyris.*

Virgo, memor Pauli, ab Stephano luctata triumphas,
Hinc dudum Iconî, Thecla, magistra sedes.

Item Feria VI Temporum.

Simon, nosce Deum, quo munda fit hospite culpis
Fæmina, et Hunc urgens fletibus æqua petas.

24. *B. M. V. de Mercede.*

Tres pia Virgo viros salebrosa inflammat ad acta:
O nova luctisonis gaudia mancipiis!

Item Sabbato Temporum.

Quid meritis vacuus torpescis, ut arida ficus?
Cæsus, ut hæc, dignis injiciere focis.

25. *Dominicæ XIX a Pentecoste.*

Væ quibus accitis spernuntur prandia regis!
Væ quibus ingressis debita vestis abest!

Item S. Lini Pp. M.

Mors pavet, ac Dæmon Te Petri in Sede secundum,
Line; vir ad mortem Dæmone pejor agit.

26. *S. Gerardi Ep. M.*

Pannonia ad Cathedram tollit venerata Gerardum,
Mox lapidum crepitu perfida prostrat humi.

Item Ss. Cypriani et Justinæ Martyrum.

Arte magâ haud vinces (Cypriano ita Dæmon amanti)
Justinam: at Jesu mors jugat una duos.

27. *Ss. Cosmæ et Damiani Fratrum Mm.*

Cosmas et frater vitam ægro, ægerrima passis
Mortifer his lictor quo potiora creat!

28. *S. Venceslai Regis Mart.*

Venceslae, peris: flent Templa, inopumque catervæ:
Germanum et Matrem non sacer horror habet!

29. *S. Michaelis Archangeli.*

Armipotens Michael, quos æthere abegit in Orcum,
Hos vetet in nostram surgere perniciem.

30. *S. Hieronymi Conf. Ecclesiæ Doctoris.*

Te gaudet Stridon genito, Bethlem hospite, Roma
Enodante sacris sensa voluminibus.

OCTOBER

1. *Festum S. Remigii Ep. Conf.*

Quo verax tibi vecta Fides, et mira peracta,
Par quidnam referas, Gallia, Remigio?

2. *Solemnitas SS. Rosarii B. V.*

Hac prece nil Jesus, et Virgo libentius audit;
Nil magis inferni dissipat hostis opes.

Item Dominicæ XX a Pentecoste.

Regule, quam fidis! Te Jesus carpit, et oras:
J, subit ægrotum vita, Domumque Fides.

3. *Ss. Angelorum Custodum.*

Angele, cui præsis, huic lucem, huic sufficis arma,
Excidat hic nusquam mente, animoque sinis.

4. *S. Francisci Assisiensis Conf.*

A patre abjiceris, Superoque valentius hæres:
Quot, Francisce, Patrum mox Pater agmen alis!

Item Dies Onomastica Regis nostri.

Itala terra tui, quo non præclarius ullum,
Regis, itemque Patris Nomen ad astra feras.

5. *S. Josephi a Cupertino Conf.*

Corpus humi adfligens petit alta, nec inde Josephus,
Ni revocent jussus, aut pia cura, redit.

6. *S. Brunonis Conf.*

Cartusiæ tot claustra jugis tibi condita plaudunt,
Bruno, Comesque Tuo sospes ab officio.

Item Ss. Martyrum Placidi et Sociorum.

Qui Satanâ adveheris, Placidique Patrumque cruore
Limina sacra rigas, te voret unda, latro.

7. *S. Justinæ V. M. Patavinæ Civ. Patronæ.*

Prosdocimo orante, in lucem, Justina, vocaris:
Duplicis hoc palmæ carpis agente decus.

8. *S. Birgittæ Viduæ.*

O vidua, ad Sponsi properas, Birgitta, recessum,
Cuius amica Cruci, colloquiisque vaces.

9. *Maternitatis B. V. M.*

Ex Te, Virgo Parens, humanos induit artus,
Quem Pater ante ævum dat Deus esse Deum.

Item Dominicæ XXI a Pentecoste.

Durus es in fratrem, rigidoque hunc iure fatigas?
Nec secus a summo Judice habendus eris.

Item Ss. Martyrum Dionysii et Sociorum.

Obdurat luctâ gravior Dionysius annis,
Rusticus hinc certat, certat Eleuterius.

Item S. Marci Papæ Conf.

Qui Te, Marce, sacrat, das Pallî utatur honore,
Templaque, mox regum censibus aucta, locas.

Item Ss. Martyrum Sergii etc.

Nam quibus, o Sergi, et comites, vos laudibus ornem,
Vos animi, et palmæ nobilitate pares?

10. *S. Francisci Borgiæ Conf.*

Gandia, cede Ducem, Ignatî quacumque serendas
Patribus aucturum, prodigiisque Domos.

11. *Die V infra Octavam S. Justinæ V. M.*

Justinâ, oh robur Fidei et Pietatis adultæ!
Oh nivea elucens virginitate nitor!

12. *Die VI infra Octavam S. Justinæ V. M.*

Sub genibus cui dura silex mollita precanti,
Durior effringis, Maximiane, sinum.

13. *S. Eduardi Regis Conf.*

Rex Eduarde, redis: tibi se fert obvius ipse
Rex Superûm, et fidens Anglus, et altus inops.

14. *Octava S. Justinæ V. M.*

Diva, Tuos prohibe ne qua infortunia tangant,
Neu tibi deturpent barbara sæcla Domum.

15. *S. Theresiæ Virg.*

Virgo Abulensis, inops quot Libros Claustraque condit,
Perpetiturque cruces, deliciisque fluit!

16. *Puritatis B. M. V.*

Sic Te spectandam exhibeas, Purissima Virgo,
Fœda quibus labes, nec pudor ullus inest!

Item Dominicæ XXII a Pentecoste.

Vafram aciem elusit victrix Sapientia, jussam
Reddere quæ Regi debita, quæque Deo.

17. *S. Hedwigis Ducis. Poloniæ Vid.*

Cassa viro et prole Hedwigis, plus dedita Jesu,
Plura sibi, et vivis, exanimisque meret.

18. *S. Lucæ Evang.*

Laus triplex Lucæ, qui Paulo fidus adhæret,
Et Jesu, et Procerum splendida gesta refert.

19. *S. Petri de Alcantara Conf.*

Corde superna putans agis ardua, Petre, domasque
Omnimodis artus, erigerisque solo.

20. *S. Joannis Cantii Conf.*

Recta doce, ac paragas, ora, fuge commoda, honores,
Reque juva, et monitis, Cantius alter eris.

21. *Ss. Ursulæ et Sociarum VV. MM.*

Dux mille undecies Sociarum agit Ursula in Hunnos:
Mars impar, læso nulla pudore cadit.

Item S. Hilarionis Ab.

Edite Tabathâ, Antonî iuga puber adisti,
Nil trepidus senior mortis iture viam.

22. *Ss. Callisti Pp. M.*

Lege, Sepulcreto celeber Callistus et Æde,
Æsuriens, cæsus præcipitatur aquis.

23. *Patrocinii B. M. V.*

Queis Jesum edideris, non hisce precantibus adsis
Materni ad Genitum larga Patrocinii?

Item Dominicæ XXIII a Pentecoste.

Fons vitæ, Deus, ecce Deus, quo, Filia, mortis
Eruta ab ungue volas Patris ad ora tui;
Quo Tibi, nequicquam curas experta medentum
Fæmina, tristis abest, omnivorusque malor.

24. *S. Raphælis Archang.*

Gaudia quanta paris Natoque, Patrique Tobiæ!
Mî quoque sis, Raphael, dux, medicina, salus.

25. *Ss. Crispini et Crispiniani Fratrum MM.*

Arte vides mirâ conniti ad sidera: et imos
Crispinum et Fratrem dixeris artifices?

Item Ss. Martyrum Chrysanthi et Dariæ.

Non tortus, dum vincla cadant bis fracta, Chrysanthe,
Non pelle inclusus, sole coquente, gemis;

Quin Te, quem sequitur conjux defensa leone,
Lætantem in fossâ saxea grando secat.

26. *B. Bartholomæi de Bregantia Ep. Conf.*
Bartholomæe, tuos luis impiger Eccellini
Colluvie: et donis ditia Templa sacras.

Item S. Evaristi Pp. M.
Nil, Evariste, times Trajanum, atque optima sancis:
O digne ad Petri qui tumulere latus!

27. *S. Martinæ V. M.*
Martinæ ex flagris laceræ leo parcit, et ignis
Auctaque vel medio in funere prodigia.

Item Inventio Ss. Martinæ et Sociorum Mm.
Martinam, sociosque pares ingloria tellus
Abdidit? Inventos Ara corusca tegat.

Item Vig. Ss. App. Simonis et Judæ sive Thaddæi.
Ægypti incultas Simon contendit ad oras,
Littora Thaddæus barbariora petit.

28. *Festum eorumdem Apostolorum.*
Perside tum junctis docilem pars applicat aurem,
Pars vocem probris, missilibusque premit.

29. *S. Casimiri Regis Conf.*
Spernere mollitiem, miserosque, Fidemque tueri,
Virgineumque decus, Rex Casimire, doces.

30. *Consecratio Ecclesiæ Divi Pauli Montisilicis, facta per Carolum Rezzonico tunc Episcopum Patav., hinc Romanum Pontificem, nomine Clementis XIII.*